

52      *Disputatio prima, Art. IV.*

victa, cùm dubitari non possit, quin si determinata, invariabilis & invicta hæc veritas de amore præsente.

X.

Hinc alterum è duobus futuriis libertatis contradictionis est determinatè futurum.

X I.

Omne medium in quo præsciat Deus futura libera, vel antecedat, vel consequitur usum humanæ libertatis.

X I I.

Nihil est in tota Theologia magis arduum, quam solutio hujus difficultatis.

Tum quia omnis determinata veritas est per se cognoscibilis, & à Deo quidem maximè; hinc veritas prædictæ futuritionis fuit semper à Deo cognita; vel præsertim quia apud Deum veritas futuritionis est veritas ipsa præsentia: siquidem Deus, ut antè probatum est, non aliter quām instar præsencium novit futura omnia. Atque hic est modus sciendi futura libera planè Divinus, quem satis sit obiter insinuasse, donec infra plenè stabilitur.

Addo etiam hanc portentosissimam difficultatem de medio, in quo præsciat certò Deus futura libera, videri redigi posse ad hoc, ut sciatur, an sic præsciri possint in medio, quod usum libertatis antecedat; aut è contraria sic præsciri non possint, nisi in medio, quod libertatis usum supponat: sive, quod idem est, ad hoc ut sciatur, an medium in quo Deus certò præscit futura libera, præveniat aut consequatur usum libertatis; quia si prævenir, futura libera ideo erunt futura, quia Deus præscivit: si autem consequitur, Deus ex adverso non præscit futura libera, nisi quia illa sic futura sunt; & sic non causabuntur, ut ita loqueris, per præscientiam Divinam; sed præscientiam Divinam causabunt.

Jam vero ut in re tam ardua & in tot sententias divisa dicam quæ sit mea mens, duo sunt quæ mihi offeruntur hic asserenda. *Unum* est, nescire Deum posse certò futura libera in suis decretis qualitercumque attemperatis, sive accommodatis ad indolem libertatis humanæ. *Alterum* est futura illa certò sciri in veritate determinata unius è duobus futuriis contradictionis, & pendente ex vi contradictionis, quæ determinat futuritionem illius per suppositionem alterius non futuri. Quo pacto confutabitur opinio, quæ in Scho is Thomisticis celebrior est, & præfertur alia, quæ extra illas receptor est circa principium sive medium, in quo stabiliri possit certitudo Divina de futuris liberis præscientiæ.